



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

10. Virgo castitatis amore deuenustata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

bat morti viciniorem, quantoque credebat, illud magis necessarium ingressuræ iter æternitatis. Negabant omnes, qui eam aspexerant, fieri posse, ut sacratum hunc panem sumeret, quæ etiam coctæ gallinæ liquorem sorbere nequibat. Ut tamen factis fieret tam ardentem cupienti cuiusmodi posset, vocatus est sacerdos, qui ei de peccatis confessæ, venerabile sacramentum sub oculos exhiberet adorandum; ut, quod re ipsa atque ore sumere non poterat, saltem fide, desiderioque manducaret. Adfuit mystra, qui postquam eam à peccatis absoluit, dominicum quoque corpus, ab ea venerandum, manu dextera eleuauit. Mira vis, & eximia virtus Eucharistiæ! statim ut eam sponte Christi conspexit, præter omnem spem & opinionem, animaduertit sibi vires rediisse in corpus, internoque animæ instinctu impulsâ, os referauit, accepitque in omnium oculis, quem tantis votis desiderauit. Quod miraculum omnes inflammauit præsentibus ad illum laudibus extollendum, qui non solum mortuorum ora soluit in loquelam, sed etiam labia aperuit, ad celestem cibum capiendum.

Matrimonij Sacramentum venerabile est, ideoque & ipsum paulo prius ostendimus illustratum, per mœchæ monstruosam faciem, poenitentiamque, formam iterum in integrum restitutam. Quia tamen voluntariæ virginitatis status perfectior, Deoque acceptior est, ideo Deus multos voluit potius esse non pulchros, quam non castos; quin & ipsi nonnulli pij sanctique homines deformes fieri maluerunt, ut virgines permanerent. *Soror Angela de Trinitate, Carmelitana, filia Marechalli de Brissach, cum ob formam aliamque natura dona à magnis proceribus in matrimonium expeteretur, faciem aqua imbutam soli exposuit, ut de eius forma deperiret, & procerum oculis minus arrideret. In conuiuium etiam nobilium fatuam se tardamque simulauit, proposito sibi nulli, quam sibi, perspecto. O quam sapiens fuit hæc stultitia simulata! Olim Dauid, ut mortem euaderet, vitamque suam conferuaret, immutauit os suum coram hostibus, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia porta, destuebantque salina eius in barbam: hæc, quia erat vna de numero prudentum, maluit videri fatua, quam placere alijs oculis, nisi Christi.* Vnde

liiii 2

mentis

X.

Paulus de
Barrij in so-
litud. Hagio-
philz. 5. die
medit. 2. dis-
sert. pome-
rid.

1. Reg. 21. 13.

Cant. 1. 5.

4. Reg. 9. 30.

mentis quæſuit, non frontis venuſtatem, vt verè dicere poſſet, *nigra ſum, ſed formoſa*. Multæ aliæ, dum genas pingunt, dum fuco illitæ iuuenibus fucum faciunt, Deo naſeam creant, vt eas ſinat labi in mille ſcœditates. Quemadmodum olim, quando venit Iehu in Iezrael, *Iezabel, introitu eius audito, depinxit oculos ſuos ſtibus, & ornavit caput ſuum, & reſpexit per fenestram ingredientem per portam*. Quid hoc ſuo ornatu Circo iſta retulit? quid illi facies picta dedit? iuſſa per fenestram in plateas præcipitari, canibusque obiecta, eſt deuorata; ita iſtæ pigmentis maculatæ, à Deo proijciuntur, & non rarò illis ipſis, quibus ſe ornant, reddunt faſtidiendas. Quis enim ceruſſatas amat? quis non odit fucum & fumum deſtructores oculorum? Sapienter igitur ſe ſoli expoſuit colorandam Angela de Trinitate, quia ſic effugit & principes, & opera tenebrarum. Non enim tantùm fugit matrimonium, ſed multa alia, quæ ſolent eiufcemodi formis contingere. Pellem mutauit, ne mutaret virtutem. Æthiopiffa facta eſt, vt animi ſeruaret candorem. Aliæ etiam plus impenderunt, eùm viderent periculoſè ſimul ſtare venuſtatem corporis, & mentis integritatem. Vates fuit, qui dixit:

ſed te decor iſte, quod optas,

ſeſe vetat, votoq; tuo tua forma repugnat.

Ouid. lib. 1.

Metam.

XI.

Sur. tom. 1.

Febr. 1.

Quid oculis charius eſſe ſolet? caſtis virginitas. S. Brigida, inter totius Scotiæ puellas facilè omnium pulcherrima, & hoc ipſo à multis ambita, à Chriſtianis parentibus filio ſuo in matrimonium petebatur. Aſt illa, quia virginitatem Deo conſecrârat, ſponſum Chriſtum enixiſſimè præcata eſt, vt aliquo corporis vitio illam deuenſtaret, quo proſtantium cupiditas frangeretur. Nihil erat in tanta forma oculis elegantius. Itaque eùm oculorum decore maximè placuiſſet, alterum ſubito vlcere percuffum diuinitus amiſit. Antiquis dictum eſt: *oculum pro oculo*. Hæc virgo, ne Chriſtum perderet, oculum perdidit. Quid dico perdidit? ingenti lucro mutauit. Siquidem ipſe Chriſtus oculus illius fuit: cui luſca tantò viſa eſt formoſior, quantò alij magis ab ea poſtea abhorruerunt. Vicisti, puella, ipſa deformitate felix:

Exod. 21. 24.

Matth. 5. 38.

Non.